

## Età arcaica

### Livio Andronico

Virum mihi, Camena, insece, versutum (fr. 1 Morel: W. Morel, *Fragmenta Poetarum Latinorum*, Lipsia 1927)

### Nevio

Blande et docte percontat, Aenea quo pacto

Troiam urbem liquerit (fr. 23 Morel).

**Ennio fr. 1. 2. 3 Sk.** (O. Skutsch, *The Annals of Q. Ennius*, Oxford 1985)

Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum (cfr. Omero, Iliade 2,484 “ditemi , ora, Muse che nell’Olimpo avete dimora”)

somno leni placidoque revinctus

visus Homerus adesse poeta

### Plauto, *Amphitruo* vv. 94-115

Hanc fabulam, inquam, hic Iuppiter hodie ipse aget  
et ego una cum illo. Nunc uos animum aduertite, 95  
dum huius argumentum eloquar comoediae.  
Haec urbs est Thebae. In illisce habitat aedibus  
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre,  
quicum Alcumena est nupta, Electri filia.  
Is nunc Amphitruo praefectust legionibus, 100  
nam cum Telobois bellum est Thebano poplo.  
Is prius quam hinc abiit ipsemet in exercitum,  
gravidam Alcumenam fecit uxorem suam.  
Nam ego uos nouisse credo iam ut sit pater meus,  
quam liber harum rerum multarum siet 105  
quantusque amator siet quod complacitum est semel.  
Is amare ocepit Alcumenam clam uirum  
usuramque eius corporis cepit sibi,  
et gravidam fecit is eam compressu suo.  
Nunc de Alcumena ut rem teneatis rectius, 110  
utrimque est grauida, et ex uiro et ex summo Ioue.  
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat,  
et haec ob eam rem nox est facta longior,  
dum cum illa quacum uult uoluptatem capit;  
sed ita adsimulauit se, quasi Amphitruo siet. 115

## Lucilio

**fr. 243-246 Marx (F. Marx, C. Lucilii Carminum reliquiae, Lipsia 1905)**

cui neque iumentum est nec servus nec comes ullus:  
bulgam, et quidquid habet nummorum secum habet ipse,  
cum bulga cenat, dormit, lavit; omnis in unast  
spes homini bulga: bulga haec devincta lacerto est.

## Età cesariana

**Cesare, Commentarii de bello Gallico 1,1**

Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe comitant atque ea quae ad effeminandos animos pertinent important, proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere quotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una, pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano, continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum, attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum, vergit ad septentriones. Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem. Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani quae est ad Hispaniam pertinet; spectat inter occasum solis et septentriones.

## Cicerone

**Cat. 1,1-2**

1] Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? Patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

[2] O tempora, o mores! Senatus haec intellegit. Consul videt; hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum

quemque nostrum. Nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem, quam tu in nos omnis iam diu machinaris.

### ***Pro Caelio 31-32***

Auro opus fuit; sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste, habuit, quamdiu voluit. Maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis. Necare eandem voluit; quaesivit venenum, sollicitavit quos potuit, paravit, locum constituit, attulit. Magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio exstitisse. Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiam nota; de qua ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa. [32] Sed intellegis pro tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis. Quae si se aurum Caelio commodasse non dicit, si venenum ab hoc sibi paratum esse non arguit, petulanter facimus, si matrem familias secus, quam matronarum sanctitas postulat, nominamus. Sin ista muliere remota nec crimen ullum nec opes ad oppugnandum Caelium illis relinquuntur, quid est aliud quod nos patroni facere debeamus, nisi ut eos, qui insectantur, repellamus? Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro-- fratre volui dicere; semper hic erro. Nunc agam modice nec longius progrediar quam me mea fides et causa ipsa coget. Neque enim muliebres umquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim cum ea quam omnes semper amicam omnium potius quam cuiusquam inimicam putaverunt.

### ***Sallustio, Bellum Catilinae 5***

1. L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. 2. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere ibique iuventutem suam exercuit. 3. Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae supra quam cuiquam credibile est. 4. Animus audax, subdolanus, varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. 5. Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. 6. Hunc post dominationem L. Sullae libido maxuma invaserat rei publicae capiundae; neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. 7. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque iis artibus auxerat, quas supra memoravi. 8. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

### ***Catullo c. 5***

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,  
rumoresque senum seueriorum  
omnes unius aestimemus assis!  
soles occidere et redire possunt:  
nobis cum semel occidit brevis lux,  
nox est perpetua una dormienda.  
da mi basia mille, deinde centum,

5

dein mille altera, dein secunda centum,  
deinde usque altera mille, deinde centum.  
dein, cum milia multa fecerimus, 10  
conturbabimus illa, ne sciamus,  
aut ne quis malus inuidere possit,  
cum tantum sciat esse basiorum.

### Catullo c. 8

Miser Catulle, desinas ineptire,  
et quod uides perisse, perditum ducas.  
Fulsere quondam candidi tibi soles,  
cum uentitabas, quo puella ducebat  
amata nobis, quantum amabitur nulla! 5  
Ibi illa multa tum iocosa fiebant,  
quae tu uolebas nec puella nolebat.  
Fulsere uere candidi tibi soles.  
Nunc iam illa non uult: tu quoque, inpotens, noli  
nec, quae fugit, sectare nec miser uiue, 10  
sed obstinata mente perfer, obdura.  
Vale, puella. iam Catullus obdurat  
nec te requiret nec rogabit inuitam.  
At tu dolebis, cum rogaberis nulla.  
Scelestas, uae te! quae tibi manet uita? 15  
Quis nunc te adibit? cui uideberis bella?  
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?  
Quem basiabis? cui labella mordebis?  
At tu, Catulle, destinatus obdura.

### Lucrezio, *De rerum natura* 4,1058-1090

Haec Venus est nobis; hinc autemst nomen amoris,  
hinc illaec primum Veneris dulcedinis in cor  
stillauit gutta et successit frigida cura. 1060  
Nam si abest quod ames, praesto simulacra tamen sunt  
illius et nomen dulce obuersatur ad auris.  
Sed fugitare decet simulacra et pabula amoris  
absterrere sibi atque alio conuertere mentem  
et iacere umorem collectum in corpora quaeque 1065  
nec retinere, semel conuersum unius amore,  
et seruare sibi curam certumque dolorem.

Vlcus enim uiuescit et inueterascit alendo  
 inque dies gliscit furor atque aerumna grauescit,  
 si non prima nouis conturbes uulnera plagis 1070  
 vulgiuagaque uagus Venere ante recentia cures  
 aut alio possis animi traducere motus.  
 Nec Veneris fructu caret is qui uitat amorem,  
 sed potius quae sunt sine poena commoda sumit.  
 Nam certe purast sanis magis inde uoluptas 1075  
 quam miseris. etenim potiundi tempore in ipso  
 fluctuat incertis erroribus ardor amantum  
 nec constat quid primum oculis manibusque fruuntur.  
 Quod petiere, premunt arte faciuntque dolorem  
 corporis et dentis illidunt saepe labellis 1080  
 osculaque affligunt, quia non est pura uoluptas  
 et stimuli subsunt qui instigant laedere id ipsum  
 quodcumque est, rabies unde illaec germina surgunt.  
 Sed leuiter poenas frangit Venus inter amorem  
 blandaque refrenat morsus admixta uoluptas. 1085  
 Namque in eo spes est, unde est ardoris origo,  
 restingui quoque posse ab eodem corpore flammam.  
 Quod fieri contra totum natura repugnat;  
 unaque res haec est, cuius quam plurima habemus,  
 tam magis ardescit dira cuppedine pectus. 1090

## Età augustea

### Verg. *Aen.* 1,1-33

Arma uirumque cano, Troiae qui primus ab oris  
 Italiam fato profugus Lauiniaque uenit  
 Litora, multum ille et terris iactatus et alto  
 Vi superum, saeuae memorem Iunonis ob iram,  
 Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem 5  
 Inferretque deos Latio, genus unde Latinum  
 Albanique patres atque altae moenia Romae.  
 Musa, mihi causas memora, quo numine laeso  
 Quidue dolens regina deum tot uoluere casus

Insignem pietate uirum, tot adire labores 10

[Impulerit](#). Tantaene animis caelestibus irae?

Vrbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)

Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe

Ostia, diues opum studiisque asperrima belli;

Quam Iuno fertur terris magis omnibus [unam](#) 15

Posthabita coluisse Samo: hic illius arma,

Hic [currus](#) fuit; hoc regnum dea gentibus esse,

Si qua [fata sinant](#), [iam tum](#) tenditque fouetque.

Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci

Audierat, Tyrias olim quae uerteret arces; 20

Hinc populum late regem belloque superbum

Venturum excidio Libyae: sic uoluere Parcas.

Id metuens ueterisque memor Saturnia belli,

Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis:

Necdum etiam [causae](#) irarum saeuique dolores 25

Exciderant animo; manet alta mente repostum

Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae

Et genus inuisum et rapti Ganymedis honores:

His accensa super iactatos aequore toto

Troas, [reliquias](#) Danaum atque immitis [Achilli](#), 30

Arcebat longe Latio, multosque per annos

Errabant acti [fatis](#) maria omnia circum.

Tantae molis erat Romanam condere gentem.

**Prop. 1,1**

Cynthia [prima suis](#) miserum me [cepit](#) ocellis,

Contactum nullis ante Cupidinibus.

[Tum](#) mihi constantis deiecit lumina fastus

Et caput impositis pressit Amor pedibus,

Donec me docuit castas odisse puellas 5

Improbis, et nullo uiuere consilio.

Et mihi iam [toto](#) furor hic non deficit [anno](#),

Cum tamen aduersos cogor habere deos.

Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores

Saeuitiam durae contudit Iasidos. 10

Nam modo Partheniis amens errabat in antris,

Ibat et hirsutas ille uidere feras;

Ille etiam Hylaei percussus [uulnere](#) rami

Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.

Ergo uelocem potuit domuisse puellam: 15

Tantum in amore preces et bene facta ualent.

In me tardus Amor [non \[n\]ullas](#) cogitat artis,

Nec [meminit](#) notas, ut prius, ire uias.

At uos, deductae quibus est fallacia lunae

Et labor in magicis sacra piare focus, 20

En agedum dominae mentem conuertite nostrae,

Et facite illa meo [palleat](#) ore magis!

Tunc ego crediderim uobis et sidera et amnis

Posse †[cythalinis](#)† ducere carminibus.

[Aut](#) uos, qui sero lapsum reuocatis, amici, 25

Quaerite non sani pectoris auxilia.

Fortiter et ferrum saeuos patiemur et ignis,

Sit modo libertas quae uelit ira loqui.

[Ferte](#) per extremas gentis et [ferte](#) per undas,

Qua non ulla meum femina norit iter: 30

Vos remanete, quibus [facili](#) deus annuit [aure](#),

Sitis et in tuto semper amore pares.

In me nostra Venus noctes exercet amaras

Et nullo uacuis tempore deficit Amor.

Hoc, moneo, uitate malum: sua quemque moretur 35

Cura, neque assueto mutet amore [locum](#).

Quod si quis monitis tardas aduerterit auris,

Heu referet quanto uerba dolore mea!

### **Orazio, *Satire* 1,9**

Ibam forte uia Sacra, sicut meus est mos,

nescio quid meditans nugarum, totus in illis.

[accurrit](#) quidam notus mihi nomine tantum,

arreptaque manu "quid agis, dulcissime rerum?"

"Suauiter, ut nunc est," inquam, "et cupio omnia quae uis" 5

Cum assectaretur, "numquid uis?" occupo. at ille

"Noris nos" inquit; "docti sumus." hic ego "pluris

hoc" inquam "mihi eris." misere discedere quaerens,

ire modo ocius, interdum consistere, in aurem

dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos 10

manaret talos. "o te, Bolane, cerebri



felicem!" *aiebam* tacitus, cum quidlibet ille  
 garriret, uicos, urbem laudaret. ut illi  
 nil respondebam, "misere cupis" inquit "abire;  
 iamdudum uideo: sed nil agis: usque tenebo; 15  
*persequar* hinc quo nunc iter est tibi." "nil opus est te  
 circumagi: quendam uolo uisere non tibi notum;  
 trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos."  
 "Nil habeo quod agam et non sum piger: usque sequar te."  
 Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, 20  
 cum grauius dorso subiit onus. incipit ille:  
 "Si bene me noui, non Viscum pluris amicum,  
 Non Varium facies: nam quis me scribere pluris  
 Aut citius possit uersus? quis membra mouere  
 Mollius? inuideat quod et Hermogenes, ego canto." 25  
 Interpellandi locus hic erat "est tibi mater,  
 cognati, quis te saluo est opus?" "haud mihi quisquam.  
 Omnis composui." "felices. nunc ego resto.  
 Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella  
 quod puero cecinit diuina mota anus urna: 30  
 "Hunc neque dira uenena nec hosticus auferet ensis  
 nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra;  
 garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,  
 si sapiat, uitet, simul atque adoleuerit aetas."  
 Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei 35  
 praeterita, et casu tunc respondere uadato  
 debebat quod ni fecisset, perdere litem.

"Si me amas," inquit "paulum hic ades." "inteream, si  
aut ualeo stare aut noui ciuilia iura;  
et propero quo scis." "dubius sum, quid faciam", inquit, 40  
"tene relinquam an rem." "me, sodes." "non faciam" ille,  
Et praecedere coepit; ego, ut contendere durum  
Cum uictore, sequor. "Maecenas quomodo tecum?"  
Hinc repetit. "paucorum hominum et mentis bene sanae.  
Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes 45  
magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,  
hunc hominem uelles si tradere: dispeream, ni  
summosses omnis." "non isto uiuimus illic,  
quo tu rere, modo; domus hac nec purior ulla est  
nec magis his aliena malis; nil mi officit, inquam, 50  
ditior hic aut est quia doctior; est locus uni  
cuique suus."

**Orazio Carm. 1,9**

Vides ut alta stet niue candidum  
Soracte nec iam sustineant onus  
siluae laborantes geluque  
flumina constiterint acuto.

Dissolue frigus ligna super foco 5  
large reponens atque benignius  
deprome quadrimum Sabina,  
o Thaliarche, merum diota.

Permitte diuis cetera, qui simul 10  
strauere uentos aequore feruido  
deproeliantis, nec cupressi  
nec ueteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere, et  
quem Fors dierum cumque dabit, lucro  
adpone, nec dulcis amores 15  
sperne puer neque tu choreas,

donec uirenti canities abest  
morosa. nunc et campus et areae  
lenesque sub noctem susurri  
conposita repetantur hora, 20

nunc et latentis proditor intumo  
gratus puellae risus ab angulo  
pignusque dereptum lacertis  
aut digito male pertinaci.

**Orazio Carm. 1,33**

Albi, ne doleas plus nimio memor  
inmitis Glycerae, neu miserabilis  
decantes elegos, cur tibi iunior  
laesa praeniteat fide.

Insignem tenui fronte Lycorida 5

Cyri torret amor, Cyrus in asperam  
declinat Pholoen; sed prius Apulis  
iungentur capreae lupis,

quam turpi Pholoe peccet adultero.  
Sic uisum Veneri, cui placet inparis 10

formas atque animos sub iuga aenea  
saeuo mittere cum ioco.

Ipsam me melior cum peteret Venus,  
grata detinuit compede Myrtale

libertina, fretis acrior Hadriae 15

curuantis Calabros sinus.

## Livio, *Ab urbe condita libri*

### *Praefatio 1-10*

Facturusne operae pretium sim si a primordio urbis res populi Romani perscripserim nec satis scio nec, si sciam, dicere ausim, quippe qui cum veterem tum volgatam esse rem videam, dum novi semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Utcumque erit, iuvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et ipsum consuluisse; et si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum me qui nomini officient meo consolet. Res est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur et quae ab exiguis profecta initiis eo creverit ut iam magnitudine laboret sua; et legentium plerisque haud dubito quin primae origines proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint, festinantibus ad haec nova quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt: ego contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper certe dum prisca [tota] illa mente repeto, auertam, omnis expers curae quae scribentis animum, etsi non flectere a uero, sollicitum tamen efficere posset.

Quae ante conditam condendamve urbem poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo est. Datur haec venia antiquitati ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat; et si cui populo licere oportet consecrare origines suas et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo Romano ut cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo quam imperium patiuntur. Sed haec et his similia utcumque animaduversa aut existimata erunt haud in magno equidem ponam discrimine: ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos uiros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; labente deinde paulatim disciplina velut desidentes primo mores sequatur animo, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora quibus nec uitia nostra nec remedia pati possumus perventum est. Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in inlustri posita monumento intueri; inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere capias, inde foedum inceptu foedum exitu quod vites.

### **Ovidio *Am.* 1,1**

Arma graui numero uiolentaque bella parabam

edere, materia conueniente modis.

Par erat inferior uersus; risisse Cupido

dicitur atque unum surripuisse pedem.

"Quis tibi, saeue puer, dedit hoc in [carmina](#) iuris? 5

Pieridum uates, non tua, turba sumus.



## Età imperiale

### Seneca *De breuitate vitae* 1,1-4

Maior pars mortalium, Pauline, de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aevi gignimur, quod haec tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant, adeo ut exceptis admodum paucis ceteros in ipso vitae apparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opinantur, malo turba tantum et imprudens vulgus ingemuit; clarorum quoque virorum hic affectus querellas evocavit. Inde illa maximi medicorum exclamatio est: “vitam brevem esse, longam artem”. Inde Aristotelis cum rerum natura exigentis minime conveniens sapienti viro lis: “aetatis illam animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena saecula educerent, homini in tam multa ac magna genito tanto citeriorem terminum stare”. Non exiguum temporis habemus, sed multum perdidimus. Satis longa vita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur; sed ubi per luxum ac negligentiam diffluit, ubi nulli bonae rei impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus transisse sentimus. Ita est: non accipimus brevem vitam sed facimus, nec inopes eius sed prodigi sumus. Sicut amplae et regiae opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, at quamvis modicae, si bono custodi traditae sunt, usu crescunt: ita aetas nostra bene disponenti multum patet.

### Lucano *Bellum civile* 1,1-32

Bella per Emathios plus quam ciuilia campos,

Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem

In sua uictrici conuersum uiscera dextra,

Cognatasque acies, et rupto foedere regni

Certatum totis concussi uiribus orbis

5

In commune nefas, infestisque obuia signis

Signa, pares aquilas et pila minantia pilis.

Quis furor, o ciues, quae tanta licentia ferri

Gentibus inuisis Latium praebere cruorem?

Cumque superba foret Babylon spolianda trophaeis

10

Ausoniis umbraque erraret Crassus inulta,

Bella geri placuit nullos habitura triumphos?

Heu quantum terrae potuit pelagique parari

Hoc quem ciuiles hauserunt sanguine dextrae,

Vnde uenit Titan, et nox ubi sidera condit, 15  
 Quaque dies medius flagrantibus aestuat horis  
 Et qua bruma rigens ac nescia uere remitti  
 Adstringit Scythico glaciale frigore pontum!  
 Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes,  
 Et gens si qua iacet nascenti conscia Nilo. 20  
 Tum, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,  
 Totum sub Latias leges cum miseris orbem,  
 In te uerte manus; nondum tibi defuit hostis.  
 At nunc semirutis pendent quod moenia tectis  
 Urbibus Italiae lapsisque ingentia muris 25  
 Saxa iacent nulloque domus custode tenentur  
 Rarus et antiquis habitator in urbibus errat,  
 Horrida quod dumis multosque inarata per annos  
 Hesperia est desuntque manus poscentibus aruis,  
 Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor 30  
 Poenus erit; nulli penitus descendere ferro  
 Contigit; alta sedent ciuilis uulnera dextrae.

### **1,129-157**

Nec coiere pares. Alter uergentibus annis  
 In senium longoque togae tranquillior usu 130  
 Dediticit iam pace ducem, famaeque petitor  
 Multa dare in uulgus, totus popularibus auris  
 Impelli, plausuque sui gaudere theatri,  
 Nec reparare nouas uires, multumque priori

Credere fortunae. Stat, magni nominis umbra, 135  
 Qualis frugifero quercus sublimis in agro  
 Exuuias ueteris populi sacrataque gestans  
 Dona ducum; nec iam ualidis radicibus haeret,  
 Pondere fixa suo est, nudosque per aera ramos  
 Effundens, trunco non frondibus efficit umbram; 140  
 Sed quamuis primo nutet casura sub Euro,  
 Tot circum siluae firmo se robore tollant,  
 Sola tamen colitur. Sed non in Caesare tantum  
 Nomen erat nec fama ducis, sed nescia uirtus  
 Stare loco, solusque pudor non uincere bello; 145  
 Acer et indomitus, quo spes quoque ira uocasset  
 Ferre manum, et numquam temerando parcere ferro,  
 Successus urguere suos, instare fauori  
 Numinis, inpellens quidquid sibi summa petenti  
 Obstaret, gaudensque uiam fecisse ruina. 150  
 Qualiter expressum uentis per nubila fulmen  
 Aetheris impulsu sonitu mundique fragore  
 Emicuit rupitque diem populosque pauentes  
 Terruit obliqua praestringens lumina flamma;  
 In sua templa furit, nullaque exire uetante 155  
 Materia magnamque cadens magnamque reuertens  
 Dat stragem late sparsosque recolligit ignes.



## Petronio *Satyricon* 111-112

[111] «Matrona quædam Ephesi tam notæ erat pudicitia, ut vicinarum quoque gentium feminas ad spectaculum sui evocaret. [2] Hæc ergo cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus aut nudatum pectus in conspectu frequentia plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogæo Græco more corpus custodire ac flere totis noctibus diebusque coepit. [3] Sic afflictantem se ac mortem inedia persequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui; magistratus ultimo repulsi abierunt, complorataque singularis exempli femina ab omnibus quintum iam diem sine alimento trahebat. [4] Assidebat ægræ fidissima ancilla, simulque et lacrimas commodabat lugenti, et quotienscunque defecerat positum in monumento lumen renovabat. [5] Una igitur in tota civitate fabula erat, solum illud affulsisse verum pudicitia amorisque exemplum omnis ordinis homines confitebantur, cum interim imperator provincia latrones iussit crucibus affigi secundum illam casulam, in qua recens cadaver matrona deflebat. [6] Proxima ergo nocte, cum miles, qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpus detraheret, notasset sibi [et] lumen inter monumenta clarius fulgens et gemitum lugentis audisset, vitio gentis humanæ concupiit scire, quis aut quid faceret. [7] Descendit igitur in conditorium, visaque pulcherrima muliere primo quasi quodam monstro infernisque imaginibus turbatus substitit. [8] Deinde ut et corpus iacentis conspexit et lacrimas consideravit faciemque unguibus sectam, ratus scilicet id quod erat, desiderium extincti non posse feminam pati, attulit in monumentum cenulam suam coepitque hortari lugentem, ne perseveraret in dolore supervacuo ac nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eundem esse exitum [sed] et idem domicilium, et cetera quibus exulceratæ mentes ad sanitatem revocantur. [9] At illa ignota consolatione percussa laceravit vehementius pectus ruptosque crines super corpus iacentis imposuit. [10] Non recessit tamen miles, sed eadem exhortatione temptavit dare mulierculæ cibum, donec ancilla vini [certe ab eo] odore corrupta primum ipsa porrexit ad humanitatem invitantis victam manum, deinde refecta potione et cibo expugnare dominæ pertinaciam coepit et: [11] “Quid proderit” inquit “hoc tibi, si soluta inedia fueris, si te vivam sepelieris, si antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis? [12] Id cinerem aut manes credis sentire sepultos? (Aen. IV, 34) Vis tu reviviscere? Vis discusso muliebri errore, quam diu licuerit, lucis commodis frui? Ipsum te iacentis corpus admonere debet, ut vivas”. [13] Nemo invitatus audit, cum cogitur aut cibum sumere aut vivere. Itaque mulier aliquot dierum abstinentia sicca passa est frangi pertinaciam suam, nec minus avidè replevit se cibo quam ancilla, quæ prior victa est.

[112] Ceterum scitis, quid plerumque soleat temptare humanam satietatem. Quibus blanditiis impetraverat miles, ut matrona vellet vivere, isdem etiam pudicitiam eius aggressus est. [2] Nec deformis aut infacundus iuvenis castæ videbatur, conciliante gratiam ancilla ac subinde dicente: “Placitone etiam pugnabis amori?” (Aen. IV, 38) Quid diutius moror? Ne hanc quidem partem corporis mulier abstinuit, victorque miles utrumque persuasit. [3] Iacuerunt ergo una non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postero etiam ac tertio die, præclusis videlicet conditorii foribus, ut quisquis ex notis ignotisque ad monumentum venisset, putaret expirasse super corpus viri pudicissimam uxorem. [4] Ceterum delectatus miles et forma mulieris et secreto, quicquid boni per facultates poterat, coemebat et prima statim nocte in monumentum ferebat. [5] Itaque unius cruciarii parentes ut viderunt laxatam custodiam, detraxere nocte pendentem supremoque mandaverunt officio. [6] At miles circumscriptus dum desidet, ut postero die vidit unam sine cadavere crucem, veritus supplicium, mulieri quid accidisset exponit: nec se exspectaturum iudicis sententiam, sed gladio ius dicturum ignavia suæ. Commodaret ergo illa perituro locum et fatale conditorium familiari ac viro faceret. [7] Mulier non minus misericors quam pudica: “Ne istud” inquit “dii sinant, ut eodem tempore

duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem. Malo mortuum impendere quam vivum occidere”. Secundum hanc orationem iubet ex arca corpus mariti sui tolli atque illi, quæ vacabat, cruci affigi. Usus est miles ingenio prudentissimæ feminæ, posteroque die populus miratus est, qua ratione mortuus isset in crucem».

### **Tacito Agricola 1-3**

1] Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebantur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtreptioni fuit: adeo virtutes isdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. At nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit, quam non petissem incusaturus: tam saeva et infesta virtutibus tempora.

[2] Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

3] Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabilis miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque cotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur adsumpserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris: subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur. Quid, si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt, pauci et, ut ita dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus? Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.